

non excludat, neque illi repugnet. Hoc ergo modo dicere debent non esse inconueniens admittere in Deo aliquid finitū secundum conceptum à nobis præcisum. Imò qui putat se euadere hanc difficultatē negādo relationibus diuinis oēm perfectionē, multo maiori rōne necesse est fatēatur illas esse finitas negatū, quia, si nullā perfectionē cōferunt, neq; infinitatē ex se afferent. Si ergo non existimāt inconueniens, q; illæ nec perfectio nē, nec infinitatē afferant, cur reputant inconueniens, & nō potius necessarium, q; afferant perfectionem ex suo genere infinitā, infinitatem vero simpliciter nō ex se, sed ab essentia habeant?

Expeditur difficultas secundī argumenti.

XVII.
Relatio diuina quouis modo cōcepta, esse uere increata.

Ad secundam difficultatem negatur ens nō diuini adæquate per creatum & increatum, quod est fere euidens, si termini illi cum proportionē sumantur, cum immediatā contradictionē includant. Ad primam uero instantiam negatur, relationem diuinam non esse ens increatū, etiā si sub quacunque præcisā ratione cōcipiatur. Ne que argū in contrarium iuxta nostram sniam uiget, existimamus enim, nūquam posse ita præscindi relationem, quin essentialiter includat essentiam, & consequenter sit Deus. Imò hic addi potest relationem, etiam secundam id quod intelligitur addere essentia, ex se esse quid increatum, quia est talis ratio entis cui omnino repugnat fieri per propriam creationem aut effectiōnem; sed vel est omnino in producta, ut paternitas, uel, si est producta, aut (nostro more loquēdi) cōproducta, ut filiatio, illa productio neque est creatio, nec propria factio, sed generatio, aut procellio, longe superioris rationis, neque talis relatio est alio modo producibilis, & hoc satis est, ut sub quacunque præcisione, uel reduplicatione in quantum talis, reuera sit ens increatum.

XVIII.
Christus an ens increatum sit dicitur.

Ad secundam instantiam respondetur, Christi sibi absolute esse ens increatum, nam est Deus, si uero addatur limitatio (seu determinatio, [ut homo] designando naturā, uel totum compositum ex natura & personā, sic est ens creatum, nā sub ea reduplicatione non potest Deus appellari, sed homo & creatura, cū ut sic reuera sit factus, & in se ipse procreatus. Ad obiectionē uero insinuatā, quia, et ut homo, nō est factus ex nihilo: quia, licet humanitas sit ex nihilo, nō in totū cōpositū, ceterū cōpositionis extremū increatum sit, respondendū est ens creatū, dupliciter dici posse. Vno modo q; secundū se totum productum est, uel est producibile ex nihilo, & hoc modo cōcedimus, Christum etiam ut hominē non esse ens creatum, ut argumentum probat. Alio modo dicitur ens creatum, quod est uere factum de nouo, quodque aliquo ente creato constat, & hoc modo illud compositum, creatum dicitur, & Christus in quantum homo ens creatum. At que in toto hac amplitudine sumitur ens creatum, quādo adæquate distinguitur ab ente increato; nam, si priori & stricto modo sumatur, dari potest ens compositum, quodāmodo mediū & quasi mistū ex creatio, & increato, quod tamen medium Philo-sophia non nouit, sed sola fides Christiana docet.

A Ad tertiam instantiam dicendum est, omnia entia extra Deum, & omnes modos entium, esse quid creatū, non quia omnia fiant immediate & per se primō ex nihilo, sed quia uel ita creantur, uel quia concreantur cum his quæ producuntur ex nihilo, ut potentia cum anima, uel certē quia concreantur postquam, licet fortasse de facto non concreantur, uel denique (& in idem fere recidit) quia fiunt ex his, quæ ex nihilo creata sunt.

Soluitur tertium argumentum.

In tertio argumento tangitur grauissima difficultas Theologica de actu libero Dei, ad quam nunc ex professio diuertere non possumus, inferius uero agentes de attributis de Deo naturaliter notis, illam persequemur, quantum ad Metaphysicam spectat. Nunc breuiter dico, rationes in ea difficultate insinuatæ apud me concludere, actum liberum ut liberum, seu ut libere terminatū ad aliquod obiectū, nō addere Deo aliquid rei, quod nunc sit in Deo, & potuerit non esse in illo, alioquin non uideo quomodo illud possit dici ens necessarium aut per essentiam, cum simpliciter potuerit non esse, & idem est de infinito in perfectione & aliis similibus attributis, ut ibidem proponitur. Quamuis ergo Deus alia à se libere uelit, tamen ea non uult nisi per actum uoluntatis sibi cōnaturalem ac necessarium, tāta nō est illius actus perfectio, ut possit per ipsū Deus uelle aut nolle creaturam, sine ulla additione in eo actu facta. Cum ergo est seruo de actu libero Dei, duo mouentur nostro modo concipiendi & loquendi, Vnū est, actus ipse quo Deus uult, aliud, est respectus rationis ad obiectū uolūtū: illud prius est ens necessarium, increatū ac per essentia, unde nullo modo potest nō esse in Deo: hoc uero posterius non est aliquid reale, quod possit esse & non esse, sed rationis im, & ideo nec creatum est, neque increatum, neque oportet sub illa diuisione comprehendī, cum ens reale non sit.

SECTIO III.

Utrum prædicta diuisio uniuoca sit, uel analogia.

C Prima sententia diuisionem esse æquiuocam.



HÆC quæstio alius terminis tractari solet, an ens dicatur analogice de Deo & creaturis. In qua tres sunt sententiæ, duæ extrinsecæ, altera intrinsecæ. Prima est, ens neque uniuocè, neq; analogice dici de Deo & creaturis, sed mete æquiuocè. Hæc opinio solet tribui Aureolo m. 1. d. 2. q. 1. sed ille non hoc afferuit, sed solum ens non dicere unū conceptum sui rationem cōmūne Deo & creaturis, quod optimè cōsistere potest cū analogia, ut per se cōstat. Imò multi existimant illud esse de ratione cuiuscūque analogi ut statim uidebimus. Refert igitur D. Thom. 1. 2. q. 7. de potēt. art. 7. eā opinionē tenuisse Rabbi Moy.